

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> GRADUALIS

De

QUÆSTIONIBUS  
JURISPRUDENTIÆ  
NATURALIS OTIOSIS,

C U F U S

PARTEM PRIOREM,

Suffragante Ampl: Senatu Phil. in illustri ad auram Athenæo,

P R A E S I D E

M A G. JOHANNE  
BILMARK,

Histor. & Phil. Pract. PROFESSORE Reg. & ORD.

Publice Defendet

PETRUS PLATAN

Rossia-Fенно,

IN AUDITORIO MAJORI Die XXI. Junii  
Anni MDCCLXXV.

H. A. M. C.

---

A B O Æ

Typis JOHAN. CHRISTOPH. FRENCKELL.



Præfatio.

**Q**uamvis Deus O. M. eam animæ nostræ concesse-  
rit facultatem, cuius ope res tam humanas quam  
Divinas cognoscere possumus; multi tamen mor-  
talium sunt, qui ea cognitione, quam sibi comparare  
possunt, non contenti, plus ultra communiter tendunt,  
& plura scire desiderant, quam Magister maximus do-  
cere voluit. Hi fere sunt, qui finibus intellectus sui ad-  
modum limitati regundis parum intenti, omnia riman-  
tut, & ea potissimum, quæ extra hominis posita sunt  
intelligentiam. Hac Philosophiae sanioris corruptio ab eo  
præfertim tempore erit repetenda, quo Doctores Scho-  
lastici abstrusis placitis & sententiis mente sæpe cassis  
cognitionem humanam turbarunt, atque quæstionibus  
humanæ rationi impervestigabilibus enodandis, dicam  
an implicandis ad insaniam usque vacarunt. Hos au-  
tem Philosophorum Argyraspidas, sicut videri volunt,  
in hunc modum ridet Erasmus: *Arcana mysteria ex suo  
explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digestus sit  
mundus, per quos canales laces illa peccati in posteri-  
tatem derivata sit, quibus modis, qua mensura, quan-  
tulo tempore in virginis utero sit absolutus Christus,  
quemadmodum in synaxi accidentia subsistant sine domicilio?*  
in encomio Morie p: m: 177. Sed virilia hæc dixeris,  
præ anilibus illis, quæ plena manu in Scholasticorum li-  
bris seruntur. Utinam vero cum Scholasticis eradicata  
ex

ex fertilissimo Philosophiae agro fuissent ineptarum quæstionum lolia; sed proh! dolor dantur etjamnum non pauci, qui ejusmodi tricis, quas subtilem dicunt meditationes, indulgent, & simplicem veritatem negligunt, ut ingenium suum, rectius vanitatem, prodant; non perpendentes, quod stultum omnino sit insectari id, quod nos fugiat, & illud sequi, quod adsequi non possimus. Maxime autem dolendum est, quod in ipsam Jurisprudentiam Naturalem, disciplinam illam, quæ normam actionum nostrarum Moralia proponit, irrepererint tam aliunde, quam ex turbulentis Scholasticorum rivis quædam dogmata, quæ arguta tantummodo videntur, reapse autem nullius sunt frugis, quæ nos proinde quæstiones otiosas appellamus. Harum nonnulla tantum, temporis rationem habituri, dissertatione hac proponeamus.

## §. I.

Sicut præter dogmatum excellentiam nihil fere est, quod disciplinam quandam tantopere commendat, quam eorundem certitudo; ita etjam inde ab illo tempore, quo Eruditi de systemate quodam Jurisprudentiæ Naturalis condendo fuerunt solliciti, in eo præcipue elaborarunt, ut primum & simul Catholicum disciplinæ hujus principium invenirent. Hinc nata fuit quæstio: *Quodnam est primum Jurisprudentiæ Naturalis principium?* Haberet autem hoc sequentia attributa: 1:o Eſſet perspicuum, 2:o eſſet unicūm & tamen 3:o Universale; adeo ut ex propositione hac fundamentali omnes partes ac quæſtiones, quæ circa officiorum præstationem moveri possent, absque prolixo ratiociniorum ſyrmate deduci poſſint. Quocirca erit notandum, quod illi Eruditi, qui in tali propositione indaganda perquam fuerunt solliciti, quam-

vis in ipsa re immane quantum a se invicem discrepent, in eo tamen velut ex condicto convenient, quod isthoc principium nec sit, nec esse debeat, nisi unicum. Stoici jam & Epicurei videntur fuisse primi, qui in idea *utilis* atque *boni*, cuius tamen utriusque minus distinctam habuisse deprehenduntur notionem, ipsum, quod quæsiverunt, moralitatis principium collocarunt. Alterutram harum sententiarum omnes fere Philosophi antiquiores amplectebantur, gravemque inter se agabant controversiam, verbalem tamen magis, ut communiter fieri assolet, quam realem. Prout autem superiori saeculo magis magisque ab Eruditis excoli coepit Jurisprudentia Naturalis; ita docet Historia litteraria, quod quot diversi Auctores systematici hujus disciplinæ fuerunt, tot fere diversa etiam illi adsumferint principia Catholica, quæ singula explicare & inter se conferre, instituti nostri ratio non permittit. Quum vero nullum principiorum hactenus excogitatorum sit tale, ut singulos desideratae perfectionis numeros impleat, siquidem Eruditi demonstraverint, quod quædam sint minus adæquata, quædam obscura, alia non simplicia, alia denique non prima, nullum autem eorum sit, quod suam non mereatur, quoniam hinc officia quædam haud inconcinne deduci possunt; quilibet facile animadvertisit, quod quæstio de primo Jurisprudentiæ Naturalis principio ad otiosas merito sit referenda. Sed ne sic quidem existimo, quidquam decedere præstantiæ disciplinæ modo memorare, si plura in eadem adsumantur principia evidencia, quum nulla omnino sit disciplina, quæ una sola propositione, tanquam basi, nitatur, atque in singulis Jurisprudentiæ hujus partibus particularia, genuina tamen, domestica & adæquata principia non deficiant. Diversa objecta non admittunt unicum principium, diversi status diversas omnino regulas postulant. Nec

Theo-

Theologi, nec JurisConsulti, nec Philosophi ulla in parte studiorum, ac ne in Mathematicis quidem disciplinis tale habent principium & unicum & Catholicum, quale hic usque in Jurisprudentia Naturali frustra quaeriverunt ejusdem interpres, & proinde oleum perdunt ac operam, qui unicam propositionem totius Jurisprudentiae Naturalis fundamentum ponere satagunt.

## §. II.

Inter alios ingenii humani abortus, quos in Jurisprudentiam Naturalem invexerunt Doctores Scholastici, referimus etjam quæstionem ab illis agitatam: *An jus naturæ esset, quamvis Deus non existaret?* Egregius scilicet flosculus ex Scholasticorum viretis, rectius vepretis, decerptus. Condonari utcunque possent talia paradoxa istis tenebrionibus; sed facili vitio factum esse videtur, ut ipse GROTIUS, restaurator ille Jurisprudentiae Naturalis, in eadem secesserit devia, nam Prolegom: J. B. & P. S. XI. ita scribit: *Et hæc quidem, loquimur de Juris Naturalis affectionibus, locum aliquem haberent, et si daremus, quod sine summo scelere dari nequit, non esse Deum, aut non curari ab ipso negotiâ humana.* *Enimvero* si vel paululum advertamus animum, statim apparent, quam sit hæc opinio ab omni ratione aliena. Quum enim nulla lex esse possit sine legislatore, nisi statuere velinus, quod detur effectus sine sua causa; lex autem Naturalis sit omnino lex, siquidem præcepta contineat de agendis vel fugiendis, atque his adjunctas habeat poenas, quibus earum transgresores citius serius plectuntur; ergo si nullus esset Deus, nullus quoque fore legislator, adeoque nec lex, nec obligatio. Nihil igitur magis otiosum est, quam proposita quæstio, & nihil magis temerarium, quin & impium censemus, quam ut homines finito suo intellectu inquirere velint,

quales futuri essent effectus, si omnium effectuum causa prima removeatur. Æque omnino inepta atque otiosa est allata quæstio, ac si quis indagare vellet, qualia in mundo futura essent phænomena, si nullus plane existeret mundus, atque agendi vires singulis entibus adimentur.

### §. III.

Quod pueri in faba, uti dicitur, idem ferme in celebri illa controversia, a Moralistis præsertim recentioribus multum agitata, sibi invenisse videntur quidam Philosophorum scoli. Quæstum igitur fuit: *an detur moralitas actionum vel objectiva vel subjectiva?* Quantumvis simplex isthæc quæstio primo videatur intuitu, attamen nisi plenius evolvatur, vix intelligi potest barbara hæc locutio. Contendunt igitur illi, qui moralitatem actionum objectivam defendunt, bonitatem vel pravitatem actionum humanarum in naturali quadam & interna earrundem honestate vel turpitudine, seposita omnino idea legis, consistere. Alii rursus, qui subjectivam actionum moralitatem propugnant, bonitatem vel pravitatem actionum ex voluntate legislatoris, in lege nobis patefacta metiuntur. Quantum autem hæc sententiæ primo saltim adspectu, sibi invicem videntur oppositæ, pro confuso Philosophorum concipiendi modo, tam parum eodem respectu re maturius expensa, a se discrepant, vel paucis tota hæc controversia in meram abit logomachiam. Non enim negant subjectivæ etiam moralitatis patroni, actiones quasdam in se utiles, quasdam noxias, alias naturæ ejusque finibus convenientes, alias vero eisdem plane repugnantes, & quidem antecedenter ad legem; urgent etiam Deum, ut sapientissimum legislatorem, non potuisse non observare isthanc actionum differentiam in lege sua sancienda; eundem vero, ut auctorem totius etiam naturæ, non alium ejus ordine intendisse finem, quam ipsa legis-

legislatione, adeo ut quod bonum vel malum sit, ultimo tamen propter voluntatis ejus rationes sit tale, qui hunc & non alium instituit Naturae ordinem. Cardo igitur questionis hujus momentosæ scilicet in eo vertitur: an Deus universum hoc conditurus, primum sibi proposuerit leges Naturæ, quas sequentur homines, vel an naturam sibi prius representaverit humanam, & deinde indoli ejus conformes nobis promulgaverit leges observandas? Ad haec cordatus respondet Philosophus, quod Deo a consiliis non fuerit, & quod idem tam de Pufendorfio, quam de Wolfio constet, se tamen firmiter scire, quod nulla in Deum cadat successio. Quod quum ita sit, consultius omnino erit ineptam hanc controversiam pro ut confuse agitari solet a Philosophis e circa Philosophiaæ Moralis penitus exterminare, in qua examinanda & parum proficies, & si profeceris, parum tamen lucraberis. Ad officia enim Deo, nobis ipsis & aliis praestanda æque firmiter obligamur, sive præceptæ sint actiones propter earundem in se bonitatem, sive bonæ sint propter Dei voluntatem.

## §. IV.

Propter materiæ in §. antecedente cognitionem hoc loco non erit reticenda quæstio, non minori animorum motu agitata: *an scilicet dentur actiones indifferentes*, hoc est tales, quæ nec bonæ nec malæ sunt? Quam quidem alii negant, alii autem affirmant. Hi sunt, qui moralitatem actionum humanarum tantummodo ex præscripto legum metiuntur, & quum multæ sint actiones humanæ, quas lex naturalis neque præcipiat neque prohibeat, concludunt, has esse indifferentes, siquidem lex permissiva, proprie loquendo, non sit lex quædam. Has itaque actiones nec morales esse, posse tamen ad has referri, habita circumstantiarum, quæ tamen ad essentiam actionum præcise non pertinent, ratione vel per se patet. Qui autem

existentiam actionum indifferentium impugnant, in hunc  
ferme modum calculos suos subducunt: actiones omnes  
humanae finem, ad quem tendunt, habent, qui quidem  
cum perfectione hominis vel consentit vel etiam eidem  
repugnat, si prius, actio est bona, si posterius mala;  
adeoque quum nullum heic sit medium, neque indiffe-  
rentismo actionum quidam relinquitur locus. Sed fal-  
lunt & falluntur, qui hoc modo ratiocinantur; quum e-  
nim præter casus modo memoratos detur adhuc tertius,  
argumentatio in hunc tenorem erit instituenda: actio ali-  
qua aut perfectionem hominis promovet, aut eidem re-  
pugnat, aut neutrum facit. Nos itaque priorem illam  
foveamus sententiam, quamvis simul nihil absurdum a po-  
steriori floere videamus; nam falsa est & innocua. Quid in Jurisprudentia Naturali perdidimus aut luerati sumus  
quameunque amplectemur sententiam? Nihil onikino.  
Qui igitur rebus curiosis magis, quam utilibus delectatur,  
is magni hanc faciat controversiam, quæ litibus magis  
fovendis, quam virtutum culturæ inservit.

S. D. G.

